



Bellum in Oriente Proximo

Die Saturni (27.12.) indutiae inter Israelianos et Palaestinenses ruptae sunt, cum exercitus aerius Israelis ictus missilium in territorium Palaestinense facere coepit.

Testes oculati narraverunt regionem Gazae illis aggressionibus longe lateque vastatam esse. Iam antea moderatores Israelis ordini Hamas malum minitati erant, nisi bellatores islamistae terram suam rochetis emissis lacessere destitissent.

Decretum Nationum Unitarum

Consilium securitatis Nationum Unitarum, postquam nuntium de novo bello accepit, Libyibus auctoribus conventum necessitatis egit.

Paulo post decretum commune comprobatum est, quo ab Israelianis postulabatur, ut ictibus aeriis finem facerent. Item ordinibus Palaestinensibus imperatum est, ne rochetis coniectis Israelianos in arma instigarent.

Tempestates nivales in America

Civitates Americae Unitae his diebus saevissimis tempestatibus hibernis affliguntur.

Nives delapsae iam tribus civibus perniciosi fuerunt, sed e procellis nivalibus etiam calamitates viariae secutae sunt, quibus saltem quadraginta homines vitam amiserunt. In regionibus montanis tantopere nixit, ut quaedam loca acervis nivium tria metra altorum obruerentur.

De scopulis coralliorum

Scopuli coralliorum Asiae, qui tsunami abhinc quattuor annos facto pessime deleti erant, mirum quam velociter revixerunt.

Primo quidem periti arbitrabantur eos non nisi post decennium peractum ex calamitate reffectum iri. Apparet autem vim recreativam naturae expectato efficacioris fuisse. Altera causa condicionis melioris videtur esse, quod piscatus illegalis in illis aquis deminutus est.

Fabrica lampadum antiqua

Mutinae, in urbe Italiae septentrionalis, quae hodie Modena appellatur, sedes antiqua lucernis fabricandis reperta est.

Ibi enim vetus rudetum in lucem venit, ubi multa centena lampadum videre erant, quae una cum aliis operum figlinorum fragmentis passim iacebant. Archaeologis iam persuasum est illam urbem sub imperio Romano locum medium artis ceramicae fuisse.

Multa communia evanuerunt

Novo anno ineunte compositio communium in Finnia valde mutata est.

Kalendis enim Ianuariis complures paroeciae cum finitimis municipiis coniunctae sunt ad maiores sedes communales constituendas. Qua renovatione facta omnino sexaginta septem veteres paroeciae evanuerunt.

De emigratione avium

Multitudo avium in Finnia hiemantium multo maior est quam fieri consuevit.

Numerus enim eorum generum, quae in partes australes emigrare supersederunt, centum fere esse existimatur, cum antea nonnisi ad septuaginta fuerit. Aves rapaces eo libentius hiemem in Finnia agunt, quod in nostris agris magna copia murium illis esui est.